



Disputationum ethicarum tertia de virtutibus in specie, nominatim liberalitate & magnificentiâ, ex 1. & 2. capp. 4. Eth.

<https://hdl.handle.net/1874/340895>

DISPUTATIONUM ETHICARUM
TER TIA,
DE
VIRTUTIBVS IN SPECIE,

Nominatim

Liberalitate & Magnificentia.

Ex 1. & 2. Capp. 4. Eth.

QUAM

Favente Deo Opt. Max.

SUB PRÆSIDIO

Clarissimi Doctissimique Viri,

D. DANIELIS BERCKRINGERI,

Lib. Art. Mag. & Philosophiae in Almâ Ultrajectinâ

Professoris Ordinarii,

Publicè defendere conatur

CORNELIVS VERVELST Rheno-Traject.

Addiēt 19. & 22. Mart: horā locoque solitis.



Naturā & Industriā.

TRAJECTI ad RHENUM,
Apud PETRUM DANIELIS SLOOT,
ANNO M. DC. XLV.

Reverendis Spectatissimisquè Viris,

D. HERMANNO à ROYESTEYN,

Mercatoribus apud
Utragectinos cele-
berrimis, illi avun-
culo dilectissimo,
huic tutori fidelissi-
mo:

D. PETRO de GRUYTER,

Nec Non

Clarissimis, Litteratissimis, Humanissimisquè viris,

D. DANIELI BERCKINGER O, L.A.M.
ac in Academiâ Ultrajectinâ Philosophiæ Practicæ
Professori vigilantissimo, Praefidi venerando, de
studiis meis plurimum merito, & indies merenti:

D. ABRAHAMO BOCASTADIO, Gym-
nasii Ultrajectini Correctori, Theologicorum, Phi-
logicorum, Historicorumque studiorum gnaro-
gnavoquè cultori, quondam Praeceptorи Hospitique
benevolo, & nunc Fautorи nunquam non colendo:

*Hacce Exercitationum Ethicarum primitia
in debitæ observantia pignus*

Dedico
CORNELIUS VERVELST
Respondens,

DISPUTATIONUM ETHICARUM
TER TIA,
DE
VIRTVTIBVS IN SPECIE,

Nominativus

Liberalitate & Magnificentia.

Ex i. & 2. Capp. 4. Eth.

T H E S I S I.

A Fortitudine & Temperantia transitum facit Philosophus ad Liberalitatem & Magnificentiam. Cujus transitus haec videntur esse causae in transitu, vel quod harum virtutum nam multiplex sit usus in vita communi, circaque eas res, quibus haec prescribunt modum, plurimum occupentur mortales, ut placet Bolfouero, vel quod, sicut illae moderantur facultates, irascibilem & concupisibilem, ita haec affectus φυχινούς, putat cupiditates circa pecunias, ut quidem videtur Acciajolo. Ego in hoc trivio stocum Thomam, qui ait, Philosophum hactenus philosophatum esse de iis virtutibus, quae in ipso homine tuendo ac moderando sunt occupatae, deinceps accingi ad eas, quae in regimine externorum bonorum ac malorum vertuntur.

II.

Quicquid sit, utraque virtus summe necessaria in vita civili, vel id est, quia pecunias, quae his substernuntur pro materia, possimus uti ad utrumlibet, id est, tam bene quam male, tam male quam bene, cum sint bona utilia: Quae autem sunt ejus conditionis & naturae, circa ea necessariò versatur aliqua virtus. Prius lemma probat Philosophus hoc modo:

Quarumcunque rerum est aliquis usus, illis licet & bene & male uti:

Pecunie est aliquis usus: Ego eam licet & bene & male uti.

Affumtionem confirmat sic:

Bonis

Bonis utilibus & benè & male licet uti: Pecunia est bonum utile:
Ergo eā & benè & male licet uti.

Posterior lemma probat isto modo:

Qui habet aliquam virtutem, is benè utitur illis rebus, circa
quas versatur illa virtus: Sed Liberalis & Magnificus
habent aliquam virtutem, ille Liberalitatem, hic Magni-
ficientiam: Ergo benè possunt uti illis rebus, circa quas versantur hæc
virtutes.

Eccur? Quia enim virtus est cuiusque rei perfectio. Hoc exem-
plo perfectus tibicen demum novit rectum tibiarum usum, recte-
què iis potest uti, sicut peritus medicus curationibus, gubernator
navibus: Ergo & Liberalis ac Magnificus pecuniis geminam ob-
causam, quorum virtus propterea bis necessaria.

III.

Nos de utrâque agemus partitim & distinctè, secuti filium
Thesei nostri, quod adhuc secuti semper sumus, sequemurque
semper, in Labyrintho hoc Ethico. Ita prior pars disputationis
erit de Liberalitate, posterior de Magnificentia, que & ipsa Liberalitas,
sed cum gradu, id est, Splendida.

IV.

Liberalitas definitur, quod sit virtus, servans mediocritatem in ap-
petendis dandis atque accipiendis pecuniis. Quibus verbis denū signa-
tur Objectum ejus, idque duplex, Internum videlicet & Externum.

V.

Objectum Internum Liberalitatis est Cupiditas, non quaëvis, non uti-
que voluptatis, cuius coërcitionem profitetur Temperantia, vel
honoris ac gloriae, in quam imperium sibi depositum Magnani-
mitas & Modestia, vel vindictæ, circa quam defudando defuda-
scit Mansuetudo, verum Pecunia, cui modum ponit hæc virtus.

VI.

Objectum Externum Liberalitatis est hac ipsa Pecunia, non simpli-
citer, sed ratione τὸν λόγον τὸν δόσεως, & convenienter non tam
ratione τὸν κτήσεως, cui inservit ἡ λόψις, quam τὴν χρέωσην, cui in-
servit ἡ δόση. Quamvis enim circa utramque occupetur, copu-
lande.

lando duas res & actiones contrarias, ut rectam κατηγορία sequatur recta χρήσις, rectam ληφθεῖν sequatur recta δόσις, tamen universè magis circa τὴν χρήσιν, quam circa τὴν πτηματα, unde & nomen suum mutuata sunt & χρήματα. Quæ vox accipitur nūc σταθμος pro monetā, seu pecuniā signat & numeratā, saltem numerabili, nunc αὐλογικῶς, pro omni re, cuius aestimationē moneta metitur, hoc est, pro omni patrimonio, rebusque & facultatibus, quæ sunt in eo, ut in hāc præsenti materia. Ut ita τὰ χρήματα suū artis idē hoc loco valeant, quod τὰ πτηματα, quoū alioquin pars existunt, sintque synonyma, seu termini æquipollentes, verūm anagogicē, id est, reductivē ad usum. Quæ causa, cur χειράτων hic fiat mentio, non πτημάτων.

VII.

Hoc ita esse, id est, Liberalitatem attineri circa τὰ χρήματα, tanquam proprium atque adæquatum objectum, id verò Philosopher arguit hoc argumento:

Quas ob res laudatur virtus queque, circa eas attinetur, cùm sit habitus laudabilis: Sed liberalitas laudatur, quod modum servet circa τὰ χρήματα: Ergo circa ea attinetur.

Neque enim ex eo laudatur liberalis', quod quid fortiter, quod quid temperanter fecerit, sed quod quid liberaliter circa τὰ χρήματα: Jam verò, ubi virtutum laudantur facta, ibi virtutes versari necesse est. Etenim bis absurdum sit, alibi esse virtutes, alibi harum facta. Atque ita hoc loco obiter, immo verò non obiter, notanda aurea regula, quā singularum virtutum singularis materia possit deprehendi, nempè ex laude factorum singularum virtutum. Si enim, v.g. laus justitia est in contractibus, ut est, ergo & ipsa justitia: Si laus temperantia in voluptatibus, ut est, ergo & ipsa temperantia. Idem de reliquis judiciis.

VIII.

Neque obstat, quod τὰ χρήματα videantur pertinere ad Economicam in genere, ad Chrematisticen verò, quæ ejus pars, in specie, ut vel ipsum nomen innuit: Ergo non ad Ethicam, & per consequens nec ad Liberalitatem. Neq; enim pertinent ὀπαύτα

quoniam ea hæc in ratio inter se O Economicæ & Ethicæ, Chrematisticæ & Liberalitatis, quæ est artis facienda tibiæ, & artis ea canendi. Nimirum parant rem familiarem, comparant τὰ χρήματα O Economica & Chrematistica, enim verò Ethica & Liberalitas his utuntur.

IX.

Finis Liberalitatis, seu τὸ δέον, ut aliarum virtutum, est, τὸ Καλὸν, ἢ τὸ Περίπον. Ad hunc duplēm finem omnia refert liberalis, qui tam in dando, quam in accipiendo, εὐτὴ δόσις, ἢ εὐτὴ ληφθεῖ, sequitur τὸ δέον, eō quod utraque hæc actio in honestate & decoro conveniat, cùm sit similis, id est, honesta utraque ac decens in liberali, non item in prodigo avaroꝝ, in quorum altero vitiosam δόσιν sequitur similis ληφθεῖ, in altero vitiosam ληφθεῖ similis δόσις. Neque enim est, ut vitiosam δόσιν sequatur honesta ληφθεῖ, & contrà vitiosam ληφθεῖ honesta δόσις, que δοσσατα. Sicut enim sanitas & infirmitas oculi non possunt esse simul in eodem oculo, sed sanitas & optima visio, quæ sequitur ex sanitate oculi. Sic nec δόσις honesta & ληφθεῖ turpis, ληφθεῖ honesta & δόσις turpis, possunt esse simul in eodem subjecto, sed δόσις honesta & similis ληφθεῖ, ληφθεῖ honesta & similis δόσις, δόσις turpis & similis ληφθεῖ, ληφθεῖ turpis & similis δόσις. Alioquin enim contraria simul fierent in eodem, & se invicem consequerentur, atque ita δόσις honesta & ληφθεῖ turpis, ληφθεῖ honesta & δόσις turpis, locum haberent in liberali cùm tamen constet, ληφθεῖ turpem esse avari, δόσιν turpem prodigi. Unde duplex emergit munus Liberalitatis, quorum alterum est positum εὐτὴ διδόναι δόθεῖ, alterum εὐτὴ ληφθεῖ δέοντα, quæ relata Ethica, quorum unum absque altero, ut esse, ita intelligi, nequit. Neque enim dare potes, nedum recte dare, nisi accipias, & recte quidem, neque accipere, nedum recte accipere, nisi sit, qui det, & recte quidem. Utrumque facit liberalis, qui, sicut recte dat, ita recte accipit, sicut recte accipit, ita recte dat, habitâ ratione τὸ καλὸν τὸ περίπον.

X.

Ad τὸ καλὸν pertinet, ratione τῆς διορεύσεως, ut ἡ δοκίς fiat τὸ καλόν εὐ-
εξα, honesti causā, præterea δοκίς τὸ ἔχοντος, à bene disposito. Τέ
καλόν εὐεξα: Quia finis liberalitatis idem, qui omnium virtutum,
nempe τὸ καλὸν, honestas, quæ in omniū virtutum actionibus spe-
ctari, & solet, & debet. Unde consequitur, non esse liberales, qui
aliis de causis largiuntur, putâ vel lucri, vel honoris, vel
libidinis & voluptatis causâ, verùm avaros, si lucri, ambitiosos,
si honoris, intemperantes, si libidinis & voluptatis causâ id faci-
ant, denique quidvis potius, quam liberales. Α' πάδι τὸ εὖ ἔχοντος: Quia
in beneficiis maximè spectandus animus dantis, qui, si dando
contristatur, hoc ipso arguit, se pecuniam honestis actionibus
anteponere, & vel pudore, vel metu coactū dare, molestè, inquam,
& gravatè, non libenter & hilariter. Quæ res à liberalitatis inge-
nio alienissima, cuius propriuta, promtè dare, quia dat ex habitu,
dare cum voluptate, quia, ut aliarum virutum, ita etiam hujus,
actiones jucundæ. Unde fit, ut non temerè ditescat liberalis,
tum quia non est ἀγαπητὸς, neq; φυλακτικὸς, sed potius πρεσβυτερὸς, nō
paratus ad accipendum, neque attentus nimis ad res suas con-
servandas, verùm facilis ad largiendum, tum quia bona non pro-
ptet ipsa, quòd ea amet, sed dandi & largiendi duntaxat causâ ex-
petit, id est, propter usum. Utut interim non eam inficias, fe-
rè liberaliores esse eos, qui à majoribus partas divitias accepe-
runt, quām qui ipsi acquisiverunt, partim quia suum quisque
opus maximè amat, exemplo parentum & poëtarum, qui suos
liberos & libros mitifiscè amant & ipsi, partim quia inopiam nun-
quam sunt experti. Quorsum adolescentes naturā nescio quo-
modo magis videoas esse liberales, quam fenes. Sed & illud hīc
advertisendum, quia de actione liberalis pronunciandum ex ani-
mo voluntate & rectâ affectione, ideo in multitudine aut magni-
tudine donorum non spectari liberalem, verum εἰς πρεσβυτερούς, quæ
major esse potest in minori. Quòd fit, ut sapè magis liberalis ha-
beatur, qui pauca, quam qui multa donat, pauca ex re tenui, mul-
ta ex magnis copiis, & tamen nec ritè, nec pro rata. Nō enim
quam-

quantitate aut qualitate eorum, quæ dantur, liberalitas mensura-
tur, sed animi habitu ejus, qui dat, neque tam objectum hic at-
tenditur, quam principium. Tribus, quod ajunt, verbis: Libe-
ralis, sive parum, sive multum largiatur, tam in parvis quam in
magnis, tam in magnis quam in parvis, servat $\tau\delta$ $\kappa\alpha\lambda\delta\tau$. Nec abs-
te, aut ratione. Nam & artes, tam in parvis rebus eluent,
quam in magnis, & sàpè magis in parvis, ut pictoris ars, tam in
parvâ tabulâ, quam magnâ, sculptoris ars, tam in sigillo, quam
signo.

XI,

Ad τὸ περὶ τὴν ratione ejusdem, ut ἡ δοσίς fiat τῷ, observatis videlicet Circumstantiis Personarum, Quantitatis, Qualitatis, Temporis, & Loci. In Personis consideranda Dignitas. Neque enim quibusvis dandum, sed iis, qui juvari merentur, tales autem probi. Fit quidem non raro, ut liberalis quoque det indignis, et quod ad pecunias quod attinet, minimè sit difficilis, sit $\delta\kappa\alpha\lambda\delta\tau$, cui propterea facile obrepit potest, sed tamen magis dolet scilicet, quod non consumserit, ubi oportebat, nempe in dignis, quam quod consumserit, ubi non oportebat, nempe in indignis, neque piget dedisse, sed dedisse talibus: Dolet, dolet, inquam, verum modicè, quoniam virtutis, ut huc liberalitatis, est, quibus rebus, quando, quatenus, sit & le-
randum, & dolendum, vider. *In Quantitate ratione dantis spe-
ctanda sunt Facultates, ratione Accipientis Egestas, Benevolentia, & Mer-
rita. Facultates hactenus:* Ut non plus detur, quam haec possunt fer-
re, quod suppetat, quod deinceps detur. *Egestas hactenus:* Ut den-
tur necessaria, neque tam ad egeni accipientis dignitatem, quam
statum inopiam & necessitatem respiciatur, que dignitatem ferè
accipientis supplet. *Benevolentia hactenus:* Ut illi plurimum tribua-
tur, a quo plurimum diligimus. *Merita hactenus:* Ut cumulatiore
mensurâ reddantur beneficia, si angustia non obstat rei familiaris.
In Qualitate ostendenda Utilitas & Injustitia, ut ea liberalitate utamur,
quæ proficit amicis, noceat nemini. Utique hic cavebimus, ne
munera supervacua mirtamus, ut fæminæ aut seni arma venato-
ria, rustico libros, studiis ac litteris dedito retia. *Et quæ ex con-*

trario

erario circumspiciemus, ne, dum grata mittere volumus, suum
cuique morbum exprobratura mittamus, ut ebrioso vina, vale-
tudinario medicamenta: Nendum noxia, ut frigidam ægris, & lu-
gentibus ac sibi iratis ferrum. In Tempore advertenda Ceteras.
Bis enim dat, qui citò dat, quia tardè yelle nolentis est. Quin-
immò dare videtur, qui citò negat. In loco Publicum & Privatum;
Ea, quæ honoris gratiâ conferuntur, vel benevolis, aut bene-
meritis, illa verò palam atque aliis inspectantibus conferenda lunt-
ur publicè testemur nostram erga eos benevolentiam & obser-
vantiam: At quæ in opere dantur ad sublevandam ejus egestatem, ea
clam & nefscientibus aliis dare satius est, ne vel illi videatur expro-
brare inopiam, vel liberalitatem nostram ostentare, contra na-
turam verae liberalitatis. Verè siquidem liberalem delectat bene-
facere, non beneficisse videri.

XII.

Ad τὸ καλὸν pertinet, ratione τὸ Αἰδενός, ut ἡ ληφθεῖσα fiat & ipsa
τὸ γράψειν, preterea δοῦ τὸ δέσμοντο, à bene disposito. Τὸ ναὸς
ἔργα: Quia & hic finis liberalitatis idem, qui omnium virtu-
tum, nempe τὸ καλὸν. Unde consequitur, non esse liberales, qui
aliis de causis, insuper habitâ honestate, accipiunt, v. g. lucri,
libidinis, luxus causâ, sed avaros, intemperantes, prodigos, de-
nique quidvis potius, quam liberales. Α' πό τὸ δέσμοντο: Quia
quemadmodum in beneficiis spectandus est animus dantis, ita
quoque animus accipientis, qui si sit αἰτητής, ad posendum
seu postulandum facilis, petax, procaz, & promptè nimis benefi-
cium accipiat, hoc ipso arguit, se pecuniam honestati antepo-
nere. Ecce si Quia enim εὐεσπερῶς τοιούσι τὸν εὐεσπερῶν, non
est hominis benefici, promptè beneficium admittere, qui u-
niversè mavult εὐεσπερῶν, οὐ δέσμοντο, alios beneficiis affi-
cere, quam his affici: Iam verò, qui postulat, is utique his mi-
serè cupit affici.

XIII.

Ad τὸ Πεπονιον ratione ejusdem, ut ἡ ληφθεῖσα fiat πᾶς, obseruantis scilicet Circu-
cumstantiis Personarum, Quantitatris Qualitatis, Temporis, & Loci.

Personarum: Ne à quibusvis accipiat liberalis, nominatum iis, quibus nolle dedisse, veluti ab improbis, aut tyrannis. Grave enim est, debere, cui nolis. Sed cur non à quibusvis accipit liberalis? Quia à quibuslibet sumere, etiam iis, à quibus non oportet, id non est ejus, qui pecuniam parvi facit, sed avari potius. *Quantitas*: Ne accipiat nimis multa & magna, majora facultatibus, necessitatibus, meritis. *Qualitas*: Ne quidvis, sed id tantum, quod recte datur, hoc est, quod neque danti, neque accipienti, ignominiosum est, aut noxiun*ta*. *Temporis*: Ne celeriter & præcipitanter, sed verecundè potius & cunctanter. *Loci*: Ne publicè, quæ privatim, privatim, quæ publicè, motis terminis pudoris & decori.

XIV.

Circa utramque occupando occupatur Liberalis, verum inqualiter, id est, universè magis circa τὴν Δόσιν, quam circa τὴν Ληφθείαν. Quamvis enim liberalis omne munus in dando potius, quam in accipiendo versetur, nonnihil tamen & in accipiendo spectatur.

XV.

Circa τὴν Δόσιν, idque πράττεις. I. Quia liberalitas in usu magis, quam in possessione est posita, εὐτὸν χρήσει, quam εἰ τῷ κτίσματι. Atqui dare est χερσὸν, accipere κτητὸν, illud ad usum, hoc verò ad possessionem magis spectat. II. Quia virtutis magis est τὸ εὖ τοιεῖν, οὐ τὸ δικαιοσχεῖν, in specie verò liberalitatis, τὸ εὐεργετεῖν, οὐ τὸ εὐεργετεῖσθαι, quia enim illud honestum, hoc utile, virtus autem, & per consequens etiam liberalitas, honestum potius spectat, quam utile: Atqui dare est δικαιοεῖν, est εὐεργετεῖν, accipere verò est δικαιοσχεῖν, est εὐεργετεῖσθαι. III. Quia virtutis magis est τὰ καλὰ πράττειν, honestè agere, οὐ αἰχνὰ μὴ πράττειν, quam non agere turpiter, quia illud commissionis, hoc omissionis tantum, illud positivum, hoc negativum: Atqui, qui dat recte, honestè agit, qui accipit recte, non tam honestè agit, quam sibi cavit à turpitudine, dum non accipit, aut quando, aut à quibus, aut quomodo non oportet. IV. Quia gratia & laudanti magis, quam accipienti, tribuntur, quoniam dando quisq; magis

magis meretur laudem & gratiam , quām accipiendo: Atqui id
virtutis magis proprium munus , quod gratiam magis meretur
& laudem. V. Quia difficilius , sua dare aliis , quām ab eis acci-
pere : Atqui virtus conspicī solet in difficultioribus . VI. Quia
liberalis magis dando, quām accipiendo, se charum & amabilem
redit: Atqui propter quod maximē amatūr vir studiosus, id ma-
ximē propriū virtutis est munus. VII. Quia vulgo liberales ha-
bentur, qui dant, qui verō non accipiunt, justi potius , ut qui ac-
cipiunt aliena, iusti: Atqui virtus describenda à suis operatio-
nibus, quae soli & semper competunt. Dico πρώτος: Quia duplex
est actus liberalis, unus dandi , alter accipiendo, primus magis
proprius, secundus vētō gratiā primi. Ideo enim accipit liberalis,
at det.

XVI.

Circa τὴν Δῆμον, idque δευτέρως. I. Quia n̄sque dare non potest,
qui nihil unquam recipit. (Hæc μὴ συνδιάλεκτη ήταν οὐδενίαζεται, id est,
μὴ συμπλέκεται, ήταν γάρ τοι φίλος φιλόσοφος.) Iam verō illa, quę
conferunt ad actiones proprias liberalitatis, id est, ad actum dandi,
non negligit liberalis, & per consequens nec τὴν Δῆμον. II. Quia,
qui nihil ab aliis vult accipere, næ ille damnare videtur eos , qui
accipiunt, quasi & ipsi nihil debeat accipere. III. Quia dare
& accipere sunt relata, quorum unum ponit alterum, unum tollit
alterum, si minus λογιώσει, saltem ήθικώσ. IV. Quia in utroque da-
tur mediocritas circa idem objectum, tam in τῷ dare, quām in
τῷ accipere. Dico δευτέρως: Quia ipsum sumere per se non est ho-
nestum, sed sumere hunc in finem, ut hāc sumitione utaris ad lar-
giendum , quod suppetant copiæ ad donandum, hoc est, sumere
largitionis & liberalitatis causā.

XVII.

Extrema Liberalitatis sunt, inde Prodigalitas in Excessu , hinc Avari-
zia in Defectu. Quamvis enim horum extremorum utrumque
diversa ratione, nunc sit excessus, nunc defectus, prodigalitas ex-
cessus in dando, defectus in accipiendo , avaritia excessus in ac-
cipiendo, defectus in dando, pletunque tamen , & magis pro-

priè excessus hic dicitur prodigalitas, defectus avaritia, fortassis propterea, quod non tam *xenosis* seu *acquisitio*, quam *xenosis* seu *confumatio* in hâc virtute spectetur.

XVIII.

Prodigalitas Græcē *Philosophantibus* dicitur *Aσαλία*, ab *ασαλίᾳ* τη^ν σωζεῖς, quod est servare. Næ bene! Perdit siquidem hoc vi-
tium habentem, dum facultates dissipat, quibus vita quodam-
modo continetur, cùm absque his vita non sit vitalis. Unde ἔχει
ασώτως, vivere perditè. Reverà enim perditio quædam sui ipsius
videtur esse, ή τῆς οὐσίας φθορά, substantia consumptio, præsertim
τοῦ ζῆν δικαιουμένου, cùm hâc vitam tueamur. Estque duplex:
Simplex & *Composita*. *Prodigalitas Simplex* modum excedit, vel in-
dando, idque per se, merè prodigiendi libidine, & qui sic prodi-
gi sunt, illi tantum sunt *δοτικοὶ*, ad largiendum proclives, vel in-
acciendo quoque, idque per accidens, & qui sic prodigi sunt,
simil sunt *ληπτικοὶ*, ad accipiendum proclives, *δόλοι* per se, *λη-
πτοι* ex eventu. *Prodigalitas Composita* alia quoque asciscit vicia,
nominatum intemperantiam, ambitionem, injustitiam, & qui sic
prodigi sunt, illi partim sunt *δοτικοὶ*, dum effusè largiuntur, op-
ibusque ad voluptates, ostentationem, injurias abutuntur, partim
ληπτικοὶ, dum avare accipiunt, quod habeant, quod profundant
in similes res & occasiones. Quia enim in omnibus rebus facile
sumtum faciunt, patrimoniumque profligant, idèò in rebus luxu-
riosis, atque ad vanam pompam & externam gloriam spectanti-
bus, sumtibus non parcunt: Quia quoque nullam honesti curam
se rationem habent, idèò in aliis injuriis afficiundis, aut inqui-
tandis, susque deque habent impensis.

XIX.

Avaritia Græcē loquitantibus appellatur *Αρεδοσία*, sicut op-
posita virtus *Ελδοσία*. Et ipsa duplex, *Simplex* videlicet &
Composita. *Avaritia Simplex*, vel peccat in dando tantum, estque
eorum, qui in dando deficiunt, in accipiendo autem modum ser-
vant, idque vel bonitate quædam, vel rerum turpium fugā, vel
metu, ne, si ab aliis accipiant, cogantur majora reddere, cuius-
modi

modi homines vocantur ~~οὐδεῶν~~ præparci, ~~γάλης~~ tenaces & vi-
scosi, ~~καὶ οὐδεῖς~~ sordidi, ~~καὶ οὐδεῖς~~ cumini sectores, ~~συκοτεγγί-~~
~~λι~~ sicut vicitantes, ~~τρύγων~~ fece vicitantes, ~~συντραπεῖς~~ sordi-
ungues, ~~μορφῆς~~ soli vesici, vel in accipiendo tantum, estque
eorum, qui in accipiendo excedunt, nullumque in sumendo te-
nent modum, quales meretrices, lenones, perductores, captatores
testamentarii, fures, fœneratores, grassatores, latrones, assentato-
res, aleatores, opifices, saltem plerique, atque adeo universum
genus ~~τοῦ αἰγαλεοῦ~~. Avaritia Composita utrumque vitium con-
jungit, estque eorum, qui in dando simul atque accipiendo pec-
cant, nihil dantes, & undique accipientes, quod genus hominum
haud dubie est deterrium in hoc genere.

X X.

- Ex duabus his Extremis Avaritia deterior Prodigalitate. I. Quia prodigus est ~~νειλατός~~, facile ad sanitatem ac frugem reduci potest, aut etatis maturitate, eò quod hoc vitium ferè cadat in imperitos rerum adolescentulos, qui, ubi adoleverunt, confirmato cum etate judicio plerunque vitam illam luxuriosam derelinquere solent, aut inopia, quæ & ipsa adolescentes per luxuriam exutos facultibus, ad frugem se pè revocare solet: Non sic avarus, qui ~~ανιατός~~, deploratus, ideoque difficillimè in viam revocari potest, proficiente cum etate pariter ac inopia avaritiæ. Cum etate, quia hoc vitium ferè cedit in peritos rerum senes, qui longo usu didicerunt, quanti sit pecunia, quid valeat numerus, quem prebeat usum, quamque non sit temere profundendus: Cum inopia, quia per avaritiam non inopia sed copia conquiritur à senibus, multum hoc conferente eorum infirmitate, quæ naturaliter homines reddit avariiores, maximè vero senes, tum quia est defectio quedam, quam omnes expiere student, tum quia, quæ viribus nequeunt, illa parsimoniam assequi conantur. Unde fit, ut quod minus ipsis restat vita, hoc plus viatici ferè querant. II. Quia prodigus maiorem habet cum liberali cognitionem, cum & ipse sit derideat liberalis, non autem ~~ανιατός~~, ut avarus: jam vero quod virtus aliquod est magis affine virtuti, hoc minus malum, quia fa-

cilius ad medium redigi potest, ut hoc ipso loco prodigalitas. Nam cum eadem illi convenientia, quæ liberalitati, dare scilicet, & non accipere, facilè potest ad medium pervenire, & dare atq; accipere, ut oportet. III. Quia prodigus plurimis prodest, avarus nemini, qui in nullum bonus, in se pessimus: Jam vero, quod aliis prodest, minus est vitium, quam quod aliis nocet. IV. Quia naturæ humanae magis cognata avaritia, quam prodigalitas, argumento, quod plures reperiuntur φιλοχρήματοι pecuniae studiosi, quam αφιλοχρήματοι pecuniae insatiosi: Quod vero vitium aliquod naturæ nostræ familiarius, quoque crebrius in eo peccatur, hoc deterius.

XXI.

De Liberalitate tantum est: Succedit Magnificentia, quâ de Philosophus proximè post liberalitatem anquirit propterea, quia permagna inter duas has virtutes est affinitas, cum utraque versetur in eadem materia, nempè πελτὰ χρύματα, utut dissimili modo, illa donando, hæc sumtus faciendo, nec eos quosvis, verum rati, inusitatos, magnos, quemadmodum vel ipsum nomen indicat. Etenim οὐ μεγάλωστα nihil aliud sonat, quam ēν μεγάλῳ πρέπεσσαι δυτάνην, voce combinatā ēν Ε μεγάλῳ καὶ πρέπεσσος, quoniam proprium magnifici, servare atque observare τὸ πρέπεσσον οὐ μεγάλοις. Ut ita haec duas virtutes gradus positiūs, quam specie, differant, quantitate, non substantiâ, per majus, inquam, & minus, magis illustre & minus illustre, quia altera occupatur circa τὸ διδόναι καὶ λαμβάνειν, altera circa τὸ δεσπανᾶν, altera circa sumtus privatos, erogationemque mediocrem, altera circa sumtus publicos, excellentes, & grandes: Iam vero magis & minus non specificant, sed diversificant tantum. Unde efficitur, ut, quoniam majus includit minus, non contraria, omnis quidem magnificus sit liberalis, non item liberalis magnificus, quia enim τὸ εἶναι liberalis, quod positum est ἐν τῷ καλῶς καὶ ἐρῶς, id est, κατ' εἰδῶν τὸ δέον, sumtus facere, reperitur etiam in magnifico, non item τὸ εἶναι magnifici, quod cernitur ἐν μεγάλοις, in liberali, cuius omne

Magni-

XXII.

Magnificentia hæc definitur, quod sit virtus, feruens mediocritatem in confectandis ac faciundis magnis sumtibus. Quibus verbis iterum signanter signatur Objectum ejus, tam Internum, quam Externum.

XXIII.

Objectum Internum Magnificentia est Cupiditas, non quævis, non utique vel voluptatis, cuius coercionem profitetur Temperantia, vel pecuniae, cuius privatum regimen præ se fert Liberalitas, vel honoris & gloriae, in quam imperium sibi depoescunt Magnanimitas & Modestia, vel vindictæ, circa quam desudando desudascit Mansuetudo, verum Sumtuum Magnorum, quibus modum & metu präfigit hæc virtus.

XXIV.

Objectum Externum Magnificentie sunt ipsa Δαπανήματα, seu Sumtus Magni. Quæ quidem in parte ὀπερέχει τῆς ἐλευθερίας μεγέθει, liberalitatem superat magnitudine, quæ in rebus parvis ac mediocribus sumtus facit, contra naturam magnificentiaz, cuius proprium, in omni re magnitudinem sectari, omnia facere quæm magnificenter, alios impensis antecellere, atque ita se gerere, ne à quoquam in eo genere possit superari.

XXV.

Sumtuum illorum duo summa sunt genera. Vel enim sunt Publici, vel Privati: Publici iterum, vel Sacri, vel Profani. Summus Sacri vocantur, qui fiunt in res, quæ Deo dicantur, ut sunt donaria, ἀναθήματα, καλασκεψίαι, παρεγκανά, sacrificia, vasa sacra, θυσίαι seu legationes sacræ. Q. D.

Ille sumitus pertinent ad magnificum, qui sunt maximi & præstantissimi:

Sed ii, qui spectant ad cultum divinum, sunt tales: Ergo pertinent ad magnificum.

Sumitus Profani vocantur, qui ad publicum civitatis usum ordinatum spectant, ut, theatra, porticus, muri, portæ, navalia, curia, archiva, nymphæa, balneæ, exoticothamia, aquæductus

vix, prandia & epulae, viscerationes. Q. D.

Sumptus maximi inter humana pertinent ad magnificentem:

At publici sunt tales: Ergo pertinent ad magnificentem.

Sumptus Privati vocantur, qui privatim ipsum magnificentem concernant, ut sunt ædes ejus, horti, prædia, agri, supellestilia, uasa argentea & aurea, & univeræ res illæ, quæ splendide quidem sunt, verum rariusculè, ut nuptiæ, congratulationes, solempnia convivia, celebrationes festorum, promotiones Academicæ, consualia, magistralia, funus. Quod retuleris & illud, si qua res tota civitate est honorata, aut natione, quemadmodum Thebis studebant conviviis. Lacædemone palæstris, Athenis & Romæ spectaculis, hodiè Neapoli & Genuæ hortis, Antverpiæ villis, Venetiis cymbis, Hispani & Angli gaudent comitatu, Germani torquibus, Poloni vestibus, Belgæ tabulis & signis, in quibus omnibus magnificus pro re nata splendide se gerit, sicut & in muneribus, donativis, congariis, feris atque animantibus rarioribus alendis, & si qua sunt generis ejusdem. Q. D.

Sumptus maximus inter privatos, atque in re familiaris, pertinent ad magnificentem: Atquales sunt preallegati: Ergo,

XXVI.

Finis Magnificentis, seu τὸ οὐ ēνεκε, est idem, qui aliarum virtutum, nempe τὸ Καλὸν, καὶ τὸ Πρέπον. Ad hos duos fines γνῶμεν magnificus omnes suas actiones, tanquam ad Helicen & Cynosuram, refert, qui præter honestatem studiosissime semper observat decorum.

XXVII.

Ad τὸ Καλὸν pertinet, statio sive functio magnifici fiat τὸ Καλοῦ ἔργα, subinde ἀπὸ τοῦ ἔχοντος, à recte dispositio. Τὸ Καλοῦ ἔργα: Quia idēc scopus omnibus virtutibus propositus, ad quem collineent, nempe honestas, cui suo quoq; loco litat hæc virtus. Unde consequitur, non esse magnificos, qui ostentationis, aut multitudinis demulcentiae causâ, magnos sumptus faciunt in res, quarum memoriam aut brevem aut nullam sunt relicturi, quibusque adē neque necessitatibus subveniuntur, neque dignitas augetur, neque verus faver paratur;

paratur. Præterquam enim, quod ea actio comparata est ad corrū-
pendum populum, qui nullum re magis capit, quam donis, cum
plutimi in Republica constituant populum, iidemque sint pau-
peres, est quoque levium hominum, grata ferè pueris, & mulier-
culis, & servis, & servorum simillimis liberis, gravi verò homini
& ea, quæ sunt, judicio certo ponderanti, non item. Non esse
quoque magnificos, qui vel publicæ utilitatis causâ sumtus sus-
cipiunt, conjunctos cum injustitiâ. Neque enim laudari possunt
opera, quamvis honestè suscepta, si pecunia, quæ in ea conferun-
tur, per rapinas & civium injurias comparentur, rusticique misel-
li operis assiduis, angariis ac parangatiis, prægraventur, suumque
huc, non tantum sudorem, sed etiam sanguinem, conferre cogan-
tur. Non denique magnificos, qui non tam in alios, & ea, quæ
ad communionem pertinent, quam in se sumtus faciunt, eo quod
verè & *γνῶσις* magnificus, non sibi, sed aliis sit utilis, & quidem
multò magis. Quamvis enim magnificus subinde sibi quoque
sit utilis, exstruendis sibi villis, portis, porticibus, horris, spectat
tamen interim & hic magnifici splendor, non tam ad ma-
gnifici utilitatem, quam ad dignitatem & ornamentum commu-
ne. A' 78 e'zor, et quidem tam Internè, quam Externè. In-
ternè requiriunt à Magnifico, ut sumtus faciat, 1. Sciens, 2. Libenter.
3. Prolaxe. Sciens: Quia cernere decorum, & quid cuique con-
veniat, non est cuiusvis, sed scientis, præsertim in magnificientia
economia atque regimine, cum fieri possit, ut multa consumma-
mus, neque tamen magnificè, sed ineptè. quæ causa, quare ma-
gnificantia potius tribuatur scientia, quam liberalitati, quia in re-
bus parvis, quarum liberalitas, non tam difficile est, cernere deco-
rum. Tribus, quod adjunt, verbis: Quemadmodum is demum
sciens, qui scit resolvere conclusiones in principia, & ex princi-
piis eisdem deducere, ita is demum magnificus, qui novit circa
materiam suam invenire, quid deceat, & honestum sit, quiquæ
sumtus convenientes novit rebus dextrè accommodare. Libenter
Quia magnificus splendore atque elegantiâ operum suorum, in
quæ magna impedit, immane quantum delectatur, idè sum-

R

tus

tus facit libenter, multaque cum voluptate, adeoque ~~ad~~ ^{ad} hila-
riter. *Prolixè:* Quia restrictè, tenuiter, subtiliter, atque ad
amissim, inire rationem, hoc parci & sordidi potius, quam
magnifici, qui id operam dat, ut universè excedat potius quam
deficiat, declinetque mage ad $\tau\delta$ plus, quam ad $\tau\delta$ minus. *Ex-*
ternè requiritur à Magnifico: 1. Ut sit dives: 2. Ut Clarus & Ilu-
stris. Unde consequitur, neque pauperem, neque plebejum & humilem,
posse esse magnificos. *Non Pauperem:* Quia ad eum pertinet, ma-
ximis sumtibus maxima opera facere, qui rectè ea facere potest:
At hoc facere possunt divites, non pauperes: Ergo. *Non Plebe-*
jum & Humilem. quamvis enim opibus suis freti magnificienti-
am aliquam ostentare hujus commatis homines, id quod
subinde factitare videmus gloriosulos, tamen ridentur, quia præ-
ter dignitatem atque officium faciunt, & à recto discedunt, cùm
in magnificientiâ præter opes opus & sumtus desideretur persona
idonea, quæ ad $\tau\delta$ $\delta\acute{e}oy$ addat $\alpha\acute{e}\lambda\acute{a}$, quæ conditio hīc deficit.

XX VIII.

Ad $\tau\delta$ $\Pi\acute{e}\tau\omega$ pertinet, ut actio sua functio magnifici quoq; fiat $\pi\acute{a}s$, obser-
vatis videlicet Circumstantijs Personarum, Quantitatis, Qualitatis, Tem-
poris & Loci. Personarum Quia magnitudo comparatum est vocabu-
lum, atque ad alios accommodatur, ut ita, qui in magnitudine
versatur, (veritatur autem magnificus,) idem, quæ huic aut illi
conveniat magnitudo, quid huic vel illi sit magnum, considera-
re debeat. Aliud namque magnum est privato, aliud Magistra-
tui, aliud trieracho, aliud architheōro. Horsum major sumtus
in excipiendo, v g, Cæsare, quam in Electore, major in duce
belli, quam in oratore mittendo, desideratur. Sic maiore impensâ
colendus Deus, quam homines, ex hominibus majore iterum, qui
publicam personam sustinent, quam qui privatam. Quo aspectu, si
domus ædificanda sit pro Principe, aliud longè requiretur, quam
si eadem extruenda foret pro privato, & si templum, plus adhuc
magnificentiae desiderabitur, quam in Principis ædibus, & sic
consequenter. *Quantitatis:* Quia opera magnifici sumtibus, &
vicissim sumtus operibus debent respondere, ita ut, si sumtus sint
magni, opera quoque esse debeat magna, magnitudoque sum-
tus

tus quodammodo certare cum operis magnitudine. Quod propterea addo, quia alia est operis magnitudo, alia sumptum. Potest namque res in suo genere esse magnifica, nullo tamen sumtu, ut sunt puerilia munera, pila aut ampulla, quæ cùm in suo genere sint elegantissima, magnifica quoque sui generis, & puerorum ratione, sumptuum tamen ratione, quia perexigua in eas res sunt, perexigua, neque magnifica. *Qualitatis:* Quiam magnifici proprius ὁ πόρος, ornatus. Unde nō tam de precio cogitat, quād de pulchritudine, & specie operis, spectatq; magis, quād præclarum & diuturnum sit, quād quanti constet, eò quòd operis virtus ex splendore potius & diutinitate, quād ex precio spectetur. Neque enim hēc eadem ratio rei, quæ operis: illius excellentia in precio atque estimatione consistit, hujus verò in spendorē. Sed cur ex diutinitate? Quia enī opera diuturna plerunque pulchriora, utpote ex optimā materiā confecta, splendida quoque, cūm ex his nominis immortalitas, cuius ut rei splendida studiosissimus est magnificus, propagetur conseruaturque. Ita, qualitatis intuitu, alio longè splendore facienda aedes sacra, alio sepulcrum, alio Xenodochium. *Temporis:* Quia non omne opportunum omnibus operibus, & alia magis necessaria in pace, alia in bello. Idem de sumptibus judicium. Ita η χρηματα pacis munus η τελεστα bellum, η γυμναστηρια utriusque. *Loci:* Ne operibus splendorem detrahant obscuritas, gratiam incommoditas atque angustia.

XXIX.

Extrema Magnificentia sunt, inde Luxus in Excessu, hinc Sordes in Defectu. Excessum Græci vocant Βαρετοικη, δυτο του Καινου καμηνο, κατα άνεμο, quod est incendere, item απαγκαλια, απο του καλου, decoro κατα τετρια, imperitiā, eò quòd sordidi artifices divites facti plerunque ineptā splendoris affectatione laborent, magnisque sumtus faciant in rebus parvis, quæ cūmsint tales, non indigent tanto sumtu. Latini reddunt ineptam profusionem, inscientiam elegantiae, & operariam in sumptu faciendo insolentiam, quæ aut aliena, aut coacta nimis. Defectum Græci vocant

Misericordia cō quōd, qui hoc vitio laborant, parūm servent de-
corum in magnis, aggrediendo res magnas, & deficiendo in
sumtu. Latini redditū indecoram in sumtu faciendo parsimo-
niam, quod non tam est reddere, quām explanare. Cicero in-
terpretatur inhumanitatem, quando ait: Odit Populus Roma-
nus privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit, non
amat profusas epulas, fordes & inhumanitatem multò minus.
Qui subscribimus & nos.

XXX.

H' *Baudouina* n' *A'pilegorica* dupliciter peccat, semel ratione finis,
dum non honesti, sed ostentationis causā sumtus facit cum Lu-
cianico Nigrino, qui Pavonis inde accepit nomen, iterum ratione
rerum & sumtuum, dum in rebus parvis, & nugatoriis, aut indi-
gnis, magnos, in magnis, seriis, dignis, parvos sumtus facit cum
Megarensibus, qui theatra, quæ pellibus alioqui intendi solebant
velisvè, purpureis tapetibus intenderunt. H' *Misericordia* adhuc
magis, ut quæ in omnibus rebus modum deserit. Non enim tan-
tum minores, quām oportet, sumtus facit, sāpè etiam ob nimia-
m parsimoniam opus coēptum deserit, verūm cunctanter &
ægrè atque cum dolore facit, quod facit, spectans semper, quā
ratione quām minimis sumtibus res possit fieri, queritanque,
se plus æquo expendere, omniaque splendidius facere, quām
oporteat.

XXXI.

Utrumque horum extremorum vitiōsum, immō vitium. Quamvis enim
non videantur esse probrosa, aut dedecorsa, reprehensioneque
graviori digna, tum quia aliis non nocent, immō prosum potius,
tum quia non æquè sunt turpia aut deformia, atque avaritia &
profusio, præsertim cūm difficillimum sit in rebus & sumtibus
magnis non hallucinari, tamen quia à medio, in quo solo sita
virtus, sunt destinata, rectè vitiositates indigentur.

COROL.

COROLLARIA TEXTVALIA.

- I. **A**N is, qui modum facultatum non excedit, quantumvis im-
mensa donet, sit dicendus prodigus? Neg.
- II. An, qui in rebus magnis sunt luxuriantes, sint avari, an vero in-
justi? Aff. post.
- III. An magnificentia quoque locum habeat in sermone & incessu?
Neg.
- IV. An hospitalitas sit species liberalitatis, an vero magnificientiae?
Aff. Vtr.

COROLLARIA COGNATA.

- I. **A**N virtus liberalitatis sit necessaria? Aff.
- II. An habeat locum indifferenter in omnibus bonis? Neg.
- III. An quis possit esse liberalis de animi bonis? Neg.
- IV. An de bonis alienis? Neg.
- V. An erga se? Neg.
- VI. An pauper quoque possit esse liberalis? Aff.
- VII. Etiamne magnificus? Neg.
- VIII. An quis possit esse magnificus erga se? Aff.
- IX. Fortunatōne potius sit dandam, an inopis? Aff. Post.
- X. Etiam improbo, sed miserabilis? Aff.
- XI. Atque adeo, an, qui pauperibus benefacit, ipsi Christo benefaciatis?
Aff.
- XII. An donare sit perdere? Neg.
- XIII. Saltem male donare? Aff.

COROL:

Corollaria Respondentis.

- I. *An dicitiae sint summum bonum?* Neg.
- II. *An bonum morale?* Dist.
- III. *An appetende in infinitum?* Neg.
- IV. *An lupanaria in bene constitutâ Republicâ sint tolerandas?* Neg.
- V. *An si minus Ethicè, saltem Politicè, carnifices sint infames?* Neg. Prius. Dist. Post.
- VI. *An ipsum principem pugna interesset oporteat?* Dist.
- VII. *An leges humanae obligent conscientiam?* Aff.
- VIII. *An majestas sit legibus soluta?* Dist.
- IX. *An civis bonus quoque etiam sit vir bonus?* Aff.
- X. *An definitio Iustitiae Iustinianica sit definitio Iustitiae Universalis, an vero Particularis?* Quodl.
- XI. *An Logica, id est, accurata?* Neg.
- XII. *An sit justum, quicquid consuetudine est receptum?* Neg.
- XIII. *An Ius Legitimum possit abrogare Ius Naturale?* Neg.
- XIV. *An Ius Naturale competit bratis?* Neg.
- XV. *An immutabile?* Dist.
- XVI. *An habitus?* Aff.
- XVII. *An amicitia sit virtus?* Neg.
- XVIII. *An ulla homini secum?* Neg.
- XIX. *An ea quoque locum habeat in cœcis & surdis?* Aff.
- XX. *Etiamne amentibus?* Neg.

P I N I S,

Acuto & alacri iuveni,

D. CORNELIO VERVELST,

Philosophiae & Iurisprudentiae Studioſo,

[D E]

LIBERALITATE

Disputanti.

Q Vicunque liberalitatis nomine
Vis astimari, & hinc tibi laudem petis,
Honestus esto: mox honestis utilius
Vultu, sereno quicquid erogas, dato,
Adsitque vultui loquele comitas.
Donalibenter, & statim. Bis obligat,
Qui non moratur. Ille qui necit moras,
Vix distat à negante. Donat optimè,
Qui se rogari non sinit. Quisquis preces
Scit occupasse, proximus vivit polo,
Beneficiumque servat & grates sibi.
Hoc disputando jam doces feliciter
Acute VELSTI, differendi regulis
Munitus, artibusque, mox præstantior
Consulitus exis, & gemellis brachiis
Amplexiteris scientiarum principem:
Legumque servus esse gestis. Scilicet
Qui legibus servire novit, Liber est.

L NYENDALIUS.

A D E U N D E M.

SIc age, V E R V E L S T I, egregie! Sic
exiere porro

Ingenium! O quantum prævideo
ipse decus!

Non tantum te tollet humo tua glo-
ria, cœlo

Inferet. Oracli hæc vox erit, opto,
vicem.

A, B, C: